



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

11 Ordines qui male sumpsit, quomodo resumere debeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

si sic suspensus presbyteratus ordinem suscipiat, irregularis efficitur.

- \* 59 Capellani in Capella Papa obtinēs, ad illius titulum, qui morte concedentis extingui non solet, ordinari potest.
- \* 60 Promotus ad presbyterium titulo sui patrimonij, illud postea renuncians in censuram non incidit.
- \* 61 Ordinatus ad ordines Minores per falsas dimissorias, & postea per veras ad Subdiaconatum, censuram aliquam non incurrit.
- \* 62 Ignorantia probabilis episcopum ordinantem subditum alienum a suspensione excusat.
- \* 63 Occultum ob crimen clericis secularis non potest ab episcopo impediri ab ordinum susceptione secus in clerico regulari.
- \* 64 Notorius talis in uno loco, puta excommunicatus, & concubinarius, est ubique talis, & sine peccato potest, ut talis alijs ignorantibus revelari.
- \* 65 Capitulum intra annum a die vacationis sedis episcopalis litteras dimissorias, seu Reverendas dare non potest, sed bene post illum.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 1. de in integ. rest. & 17. §. 6. de Sac. non iter.

**P**arochus intra tempus, quo promoueri tenetur, legitime impeditus, cessante impedimento, quoad vtrumque forum, non alium annum integrum, sed tantum complementum partis anni, in qua legitime impeditus fuit, ad promouendum acquirit. Arg. c. 1. de test. in integ.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 7. de offic. iud. deleg.

**P**redicare sacri alicuius orationis actus non est, unde & laicus ex licentia Episcopi, aut parochi publice munus concionandi exercere potest, & sine eorum licentia, nec Diaconus, nec Sacerdos simplex ecclesiam curam non habens, predicare valet. ca. Adijcimus, 16, qu. 1. & Naua. in Man. c. 25. nu. 145.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 5. de atat. & qual. ord.

**P**relatus Ecclesie collegiate curate, quamuis aliquo iure, intra certum tempus Sacerdotium suscipere, sub poena priuationis ipso iure incurrenda, non teneatur: a Superiore tamen monitus, proximis a iure statutis temporibus promoueri debet. cap. Cum in cunctis. §. inferiora, de elec. & Panor. ibid.

DECISIO IV.

**P**relatus Collegiate iusta de causa Episcopo suo inueniatur, a residentia excusatur, & tuta conscientia fructus percipere potest. cap. Ad audientiam. de cle. non resid. & Pan. ibi.

DECISIO V.

Ex consil. 4. alias 8. de privileg.

**E**piscopus quocumque Canonicos & dignitates, & alios Clericos exemptos, & non exemptos, ad curam animarum exercendam constitutos, quoad inhabilitatem eorum, non obstante quocumque privilegio, aut consuetudine in contrarium examinare, & visitare potest. Ita Conc. Trid. sess. 14. ca. 3. de ref. & sess. 24. cap. 18. de ref. & sess. 25. c. 11. de regul. & illiteratos, & imperitos ecclesiarum rectores, vt coadiutores accipiant, cogere potest, ex eodem Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de refor.

DECISIO VI.

Ex Consil. 5. deest in Nouis.

**E**piscopus aliquos ordinari prohibens propter aliquos defectus, si postea eos ordinet, nesciens an patientur illos, quos scite per mendacium celauerit, in foro exteriori intentionem eos ordinandi habuisse, presumitur ca. 1. de eo qui furt. ord. suscep. cum in dubijs pars benignior amplectenda, & credenda sit. c. In penis, de reg. iur. & occulte indignos ordinare non intendens, peccaret, cum ad ipsum occulta crimina, quae nescit, nec scire

teneatur, nec probare potest, punire non pertineat. Arg. c. si tantum, & c. placuit, 6. q. 2. & c. erubescant. dist. 32.

DECISIO VII.

Ex consil. 6. alias 1. de eo qui furtim ord. suscepit.

**O**rdinatus ad ordines sacros ante legitimam aetatem, mentitus illam Episcopo interroganti, an aetatem legitimam haberet, si postea Episcopus ordines collaturus protestetur ore, & mente se non intendere ali quem huiusmodi defectum patientem ordinare, vere ordinatus non est, sed denuo ordinari debet, cum intentio ministri in Sacramento conficiendis omnino sit necessaria ex Cont. Tri. sess. 7. can. 11. de Sacram. in genere, & S. Thom. 3. p. q. 64. art. 8. & 10. Secus autem si protestatio huiusmodi ore tantum facta sit, ad arcendum audaciam accedendum il legitime ad ordines accipiendos; & in dubio praesumendum est, habuisse intentionem ordinandi accedentem, cum tali defectu, etiam si mentitus fuerit se habere legitimam aetatem, c. 1. de eo qui furt. ord. suscep.

DECISIO VIII.

Ex consil. 7. deest in Nouis.

**E**piscopus vetans ordinari aliquos patientes defectus Natalium, aetatis, vel excessum censuratum, excommunicationis, interdictionis, suspensionis, irregularitatis, vel alterius inhabilitatis, aut cuiuscunque peccati mortalis, eo animo tantum, vt abstinerent se ab ordinibus suscipiendis propter obedientiam, non autem animo nullatenus ordinandi, si non obstante prohibitione eius accedant ad ordines suscipiendos, vere ordinati sunt, c. Si quid inuenisti. 14. q. 5.

DECISIO IX.

**N**ullus defectus bonitatis, aetatis, vsus rationis, aut sciētie, sed neque aliquis alius praeterquam sexus virilis & baptisus, impedit characteris ordinis impressionem in anima eius, si Episcopus intentione ordinandi habeat, vt ait S. Th. 4. d. 25. q. 2. ar. 6. adeo vt infans in cuius existens coniugatus, & illiteratus modo sit masculus, & baptizatus characterem ordinis accipit tam facti, quam non facti etiam si prepotere maiores, priusquam minores ei consecratur. Arg. c. 1. de cler. per salt. prom. & c. sollicitudo dist. 52. nec amplius ordinandus est.

DECISIO X.

Ex consil. 8. alias 2. de eo qui furtim ordines suscepit.

**E**piscopus generalem ordinationem facturus, & prius edicto statuens, ne qui ab haereticis originem ducerent ad ordinationem accederent praesumerent, si eo non obstante quispian auos haereticos habens ordines accipiat, vere ordinatus censetur, eo quod infidelitas praecedens etiam eiusdem ordinandi vel beneficio donandi, regulariter promotionem eius non impediatur, c. 1. cum sequ. de recrip. nec in ordinante defectus intentionis praesumi debet, non solum quia aliud est, quod Episcopus aliquos indignos ordinari prohibeat, & aliud quod ei desit intentio ordinandi tales, si se illi eorum indignitatem ignorati ordinandos offerant, & a separatis non fir illatio. c. Ad audientiam, de decim, sed etiam quia per talem praesumptionem praesumeretur Episcopum deliquisse, cum non possit ipse iure repellere ordinandum ex eo, quod a talibus parentibus defenderet, cap. statutum, de haer. in 6. & in dubio non est de aliquo, maxime de Episcopo, praesumendum delictum, c. 2. de reg. iur.

DECISIO XI.

Ex consil. 9. alias 8. de Sacramen. non iterand.

**O**rdinatus ad quatuor Minores ab aliquo presbytero, dicente se habere facultatem id faciendi a Papa credente id populo quadraginta circiter annis, quibus id publice faciebat, & antequam sacros ordines ab Episcopo postea susceperat, beneficium obtinuit, ab Episcopo tollerari potest, nec dispensatione indiget, cum per malum ordinum Minorum assumptionem non incurrat quis ipso iure suspensionem, licet suspendi mereatur, cap. vel non est compos. de tempor. ordin. si scienter id faceret, debet

debet tamen ordines Minores cum conditione resumere, si & qua tenus antea non sint suscepti; arg. c. 2. de baptis. & c. Solemnitates, de consecr. dist. 1. & argu. cap. quanto, de consuetud. & collatio beneficii facta illi, antequam sacris ordinibus ab episcopo ordinaretur, nulla fuit & inualida, cum collatarius fuerit laicus, & laici beneficii ecclesiastici incapaces sunt, cap. ex literis, de transact. & ca. cum adpo, de rescript.

DECISIO XII.

Ex consl. 10. alias 2.

12 **O**rdinatus ritè ad Minores ordines in vno loco, & postea locum mutans, & episcopo loci tribus annis seruiens, ab eodem mutans, & episcopo loci tribus annis seruiens, ab eodem mutans, vel ab alio, virtute dimissorialium ab eo illi concessarum, ad ordines sacros promoveri potest; ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 9. de ref. cum per huiusmodi mansionem videatur quæsisse domicilium, & eiusdem episcopi subditus effectus. l. ciues, C. de incol. lib. 10. & c. cum nulla, de temp. ord. in 6.

DECISIO XIII.

Ex consl. 11. alias 3.

13 **F**ilius, qui natus, & educatus in vna diocesi, ad diocesim ubi pater habitat, & domicilium habet, venit animo perpetuo cum eo habitandi, & post annum missus est causa studendi ad ciuitatem, ubi natus erat, & post aliquot annos reuersus, ab episcopo, ubi pater habitat, legitime ad ordines promoveri potest: quia filius pubes cum esset, qui sibi domicilium eligere potest, placet, cum l. seq. ad municipalem. adiuuit domum patris animo perpetuo ibi viuendi, & diu ibi mansit, & quamuis postea alibi studuerit, ibique multis annis degerit, semper tamen animum habuit redeundi domum, & ad ciuitatem ubi pater domicilium obtinuit, & proinde idem cum patre domicilium habuisse censendus est. l. 1. & 2. C. de incol. lib. 10. Et quilibet laicus sine licentia episcopi, non solum quoad temporalia, nihil, & l. incola, ff. ad municip. sed etiam quoad spiritualia, domicilium de vno episcopatu ad alium transferre potest, c. si. de paroch.

DECISIO XIV.

Ex consl. 11. alias 4. de Sacram. non iterand. in Nouis.

14 **P**rima tonsura non est proprie ordo, prout testantur Doctores, in 4. d. 24. nec ad suam essentiam requirit, vt eam assumens dicat illa verba *Dominus pars hereditatis meae* &c. sed satis est, vt Episcopus ea faciat, quæ suscipientem a populo laico segregat, & clero aggreget, & ea insignitus est medius quidam inter vtrumque, vt est Cathecumenus inter baptizatum, & baptizari volentem, & nouitius inter omnino secularem, & religiosum; professum. Ita Sotus, 4. d. 24. q. 1. ar. 1. & Nau. in Man. c. 22. nu. 18.

DECISIO XV.

Ex consl. 13. alias 18.

15 **A**ccipiens iustum patrimonium a patre, vt ordine sacros accipiat, quod multo tempore possidet, sed antequam se ordinari faciat, obligat se ad soluendam certam pecuniam alteri, si postea cum dimissorijs literis Ordinatij ad titulum donationis præfati patrimonij dati omnes ordines suscipiat; nec suspensionem aliquam incurrit, nec celebrando irregularis efficitur; nec Episcopum decipisse censetur, quia verum titulum ei ostendit, & satis est ordinando, quod habeat patrimonium sufficiens ad se honestè sustentandum, nec requiritur; quod non debeat aliquid creditoribus, maxime cum præfata pecunia deberi coeperat post patrimonium quæsitum, de quo nec debuit, nec potuit solui ex Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de reform. & ita tacite promissa censetur sub conditione tacita, si post ordinationem habuerit vnde soluat: Nam patrimonium illud ante ordinationem peti non poterat, quia donatum ei fuit a patre ad causam ordinationis faciendæ; l. 1. & 2. C. de don. quæ sub modo fiunt, nec post ordinationem, si non fuerit adeptus beneficium, vel aliud æquipollens, patri-

monij illud ad ordinandum sibi donatum alienare, renunciare, aut vendere potest, ita Conc. Trid. vbi supra.

DECISIO XVI.

Ex consl. 14. in antiquis, & Nouis.

16 **O**rdinatus sacris ordinibus sine patrimonio, vel titulo iusto beneficii ecclesiastico, vel pensione sufficenti ad honestam sui sustentationem, ipso iure suspensus est c. neminem, & c. Sanctorum. d. 70. & episcopus sciens, vel scire debens talem ordinans ordinatum alere tenetur, c. cū secundum, de præbend. & ordinatus Sacris cum pensione, vel patrimonio, pensionem illam, vel patrimonium postea donare, vel renunciare sine licentia episcopi non potest, & aliter facta donatio, vel renunciatio inualida, & nulla censetur, ita Concil. Trident. sess. 21. c. 2. d. reform.

DECISIO XVI.

Ex consl. 15. in vtriusque.

17 **L**egitimè proutis de beneficio ecclesiastico, ad cuius titulum antequam illius possessionem adipisci potest, a seculari potestate, vel aliunde impeditur, bona fide, & cum legitimis literis dimissorijs, ac Papæ dispensatione ad omnes, etiam sacros, & presbyteratus ordines, extra tempora a Catholico antistite promoveri se faciens, nec suspensionem, nec irregularitatem in foro interiori, aut exteriori incurrit; eo quod iura antiqua c. Neminem, cap. Sanctorum, d. 70. c. cum secundis, de præb. c. per tuas, 3. de simon. de eo solum loquuntur, qui absolute, hoc est, sine titulo & patrimonio, vel subreptitie per parsimoniam, vel mendacium ordinatur non autem de habente titulum & beneficium, & ius in eo quæsitum sine possessione ab alio iniuste detenta & ius nouum Concilij Tridentini sess. 21. c. 2. de ref. solum innouat pœnas antiquis iuribus impositas, de nouo statuens ius pacificæ possessionis; ob cuius tamen defectum sicut nec iura antiqua suspensionis pœnam imponunt; ita neque ius nouum, cum solum pœnas antiquas quoad hoc innouet.

DECISIO XVIII.

Ex consl. 16. alias 21.

18 **S**ubdiaconus sine beneficio ad titulum patrimonij ordinatus, & illud in fauorem parentum, vel aliorum renuncians, si postea se ad ordines superiores ordinari faciat ab ordinario, cui facta fuerit fides, de titulo patrimonij, cum ad Subdiaconatum ordinaretur, qui ignorabat prædictam renunciationem, & celebret; licet sic renunciando, & ordines superiores assumendo peccet, & ab ordinario pœna extraordinaria puniri possit, nullam tamen censuram, aut irregularitatem incurrit; non solum quia iuste possit quis iure antiquo, cap. episcopus, cap. tuus, de præben. & nouo, Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. de reform. ad titulum patrimonij ordinari, si id visum fuerit episcopo; sed etiam quia renunciatio illa sine licentia episcopi facta nulla fuit, & proinde sic ordinatus presbyter non caruit titulo illo, impedimentum autem non præstat, quod iure non sortitur effectum capit. Non præstat, de regulis iuris in sexto, vnde sicut si renunciatio illa facta non fuisset, ordinatio fuisset iusta; ita etiam & illa facta talis erit, eo quod renunciatio illa nulla est: præsertim cum lex penalis, qualis est lex suspendens ordinatum sine titulo, Extrau. Cum ex sacrorum. extra casum proprium extendenda non sit, c. Pœnæ. de pœnit. dist. 1. ad illum scilicet qui vere titulum habet, & inuaidè renunciando non perdidit illum.

DECISIO XIX.

Ex consl. 17. alias 6. de Sacramentis non iterand. in Nouis.

19 **A**ccedens cum intentione ad ordines accipiendos, & antequam eos accipit, habet scrupulos volendi & nolendi accipere illos, licet in partem affirmatiuam potius  
B incli-